

Dices 1° : Joan. VI, 63 : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* ; ergo Christus communionem sub utraque specie præcepit.

R. Nego conseq. Nam 1° genuinus præcepti Christi sensus ex traditione repetendus est : at traditio, *ut ostendimus*, nos docet Christi fideles sæpe sub unica specie communionem accepisse. 2° Ipsi Calvinistæ vinum in cœna non tribuunt iis quibus grave est post alios sumere, nec iis qui vinum bibere nequeunt : ergo non arbitrantur communionem sub utraque specie jure divino esse præscriptam. 3° Concilium Trid., sess. 21, cap. 1, præfatum textum nobis objectum sic interpretatur : « Qui dixit : *Nisi manducaveritis*, etc., dixit quoque : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*. Et qui dixit : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*, dixit etiam : *Panem quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*. Et denique qui dixit : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo*, dixit nihilominus : *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. » Ergo Christus, in prædicto textu, non modum sumendi Eucharistiam, sed rem ipsam præcipit. Ergo.

Dices 2° : Christus, sacram instituens Eucharistiam, dixit : *Hoc facite in meam commemorationem* ; at communionem sub utraque specie dedit : ergo.

R. Dist. maj. Dixit : *Hoc facite*, etc., et hæc verba ad solos spectabant Apostolos eorumque successores celebrantes, *concedo* ; et ad ipsos spectabant laicos, *nego maj.* Non omnia enim quæ fecit Christus instituendo Eucharistiam præcepta sunt laicis ; alioquin omnes consecrare tenerentur, quod absurdum est. Standum est ergo traditioni quæ hæc verba ad presbyteros celebrantes restringit. Ergo.

Dices 3° : Sacra Eucharistia per modum convivii fuit instituta : at in omni convivio debet esse cibus et potus : ergo.

R. Dist. maj. Per modum convivii fuit instituta, quoad aliqua, *concedo* ; quoad omnia, *nego maj.* Eucharistia

assimilatur quidem convivio, quia ad refectionem animæ destinatur, sicut convivium materiale ad refectionem corporis : verum non necesse est ut convivio materiali sub omni respectu æquiparetur ; comparationes enim non premeandæ sunt ultra punctum similitudinis. Ergo.

Quæritur an tanta conferatur gratia in communionem sub una quanta in communionem sub utraque specie.

R. 1°. Certum est « sub una tantum specie totum atque » integrum Christum, verumque sacramentum sumi, ac » propterea quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solum accipiunt ; » Concil. Trid., sess. 21, cap. 3.

R. 2°. Non major producitur gratia substantialiter in communionem sub utraque specie quam in communionem sub una : gratia enim non producitur ratione specierum, quæ sunt mera symbola, sed ratione rei sub speciebus contentæ : atqui res contenta eadem est sub una ac sub utraque specie : ergo.

Fieri tamen potest ut, ratione majoris fervoris, vel repetitionis actuum fidei, amoris, etc., augmentum gratiæ obtineatur, sed per accidens, et non præcise quia aliquid majus suscipitur.

Hic quære solent theologi quo instanti gratia sacramentalis producat, an in sumptione prioris, vel in sumptione posterioris speciei. Si una species sine ordine ad alteram numeretur, duplex esset sacramentum, ac proinde duplex gratia sacramentalis : ubi vero utraque species per modum unius refectionis spiritualis sumitur, unicum est sacramentum et unica gratia sacramentalis, quæ, juxta quosdam, in sumptione panis producitur, tum virtute corporis Christi sub hac specie sumpti, tum virtute sanguinis ejus sumendi ; sed alii melius dicunt, ut nobis videtur, eam non produci nisi in fine sumptionis duplicis speciei.

COROLLARIUM.

Ergo Ecclesia usum calicis merito subtraxit laicis. Merito enim fecit quod potuit facere et graves habuit

rationes faciendi: atqui 1° Ecclesia usum calicis respectu laicorum suppressere potuit, siquidem, ex concilio Trid., sess. 21, cap. 2, hanc semper habuit potestatem, « ut in » sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, » ea statueret vel mutaret quæ suscipientium utilitati, seu » ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, tempo- » rum et locorum varietate, magis expedire judicaret. » Usus autem calicis ad substantiam sacramenti Eucharistia non pertinet, ut constat ex superius dictis. Ergo 1°.

2° Graves habuit rationes sic agendi, nempe: 1° periculum irreverentiæ erga sanctissimum illud sacramentum; in magno enim fidelium concursu pertimescendum erat ne quid pretiosi sanguinis e calice efflueret; 2° difficultas speciem vini diu conservandi, quia facile acescit et corrumpitur aut periculum est effusionis; 3° impossibilitas hanc speciem ad ægrotos convenienter deferendi; 4° repugnancia multorum utendi vino vel hauriendi ex calice qui jam plurimis oblati fuerat; 5° tanta vini raritas in quibusdam regionibus, ut vix obtineri possit quantitas sacerdotibus pro sacrificio necessaria. Ergo 2°.

Vide opus *Bossuet* inscriptum: *Traité de la Communion sous les deux espèces*, et Bened. XIV, de Missæ sacrificio, l. 2, cap. 22, n. 18 et seq.

Attamen hæc mutatio disciplinæ apud Græcos non fuit acceptata; hi enim, sub sola specie panis communicant in periculo mortis et in diebus in quibus missæ præsanctificatorum celebrantur: in aliis vero diebus communio publica fit in templis sub utraque specie, hoc est « in fermentato sanguine intincto, ad quam rem perficiendam » sacerdos utitur parvo cochleari quod inserit in os suscipientis Eucharistiam. » Bened. XIV, Const. *Allatæ sunt*, diei 26 martii 1755, § 25.

Nullum est dubium quin Ecclesia usum calicis permittere possit, sed id non expedit, quia rationes ob quas suam mutavit disciplinam eadem remanent. Laici tamen speciem vini sumere possunt, 1° in periculo profanationis, puta si pretiosum sanguinem effusum sacerdos lambere nollet, vel si post consecrationem sacerdos moriatur aut

deficiat, et alius non inveniatur qui missam perficere aut sacras species colligere et in sacrarium recondere possit. 2° Si facultatem sic communicandi privilegio immemoriali vel speciali summi Pontificis concessionem habeant. Sic reges Gallia, ex privilegio Clementis VI anno 1351 concessio, sub utraque specie communicandi habent potestatem in die suæ inaugurationis et in viatico mortis. Item sub utraque specie ex privilegio communicant diaconus et subdiaconus in solemnibus pontificis Romani missa. Idem olim existebat privilegium in Ecclesia S. Dionysii, prope Lutetiam, et in monasterio Cluniacensi, pro certis diebus: Bened. XIV, de Missæ sacrif., l. 2, cap. 22, n. 32. 3° Si Latini communicent apud Græcos in locis in quibus nullum existit templum ritus Latini.

Communiter autem docetur speciem vini homini periclitanti et speciem panis sumere non valenti administrari non posse, his casibus exceptis; quia præceptum divinum communicandi, in periculo mortis, non obligat quando ritus pro reverentia sacramenti ab Ecclesia strictè præscripti servari nequeunt.

ARTICULUS QUARTUS.

DE FREQUENTI COMMUNIONE.

Jam ostendimus primos fideles sacram Eucharistiam frequenter accepisse vel apud se custoditam sumpsisse; recentioribus sæculis quidam frequentem et quotidianam communionem adeo commendaverunt, ut in excessum impeerint, dispositiones ad tantum sacramentum congruenter necessarias non requirentes: talis fuit P. *Pichon*, in opere inscripto: *L'Esprit de J.-C. et de l'Eglise sur la fréquente communion*, anno 1745 impresso, a multis episcopis Gallicanis damnato, et a suo auctore retractato. Alii, e contra, post Antonium *Arnauld* qui anno 1643 in lucem ediderat librum *De la fréquente Communion*, qui melius inscriptus fuisset *Contre la fréquente Communion*, tot et tam perfectas requirebant dispositiones ad sacram communionem, ut plerosque ab ea repellerent. In justo autem

medio stat veritas, ut ex sequentibus propositionibus patebit.

PROPOSITIO PRIMA.

Laudabilis et utilis est per se frequens communio.

Prob. concilio Trid., decisione Cong. concil., testimoniis Patrum, et ratione.

1° *Concilio Trid.*, sess. 13, cap. 8: « Paterno affectu ad » monet sancta synodus, hortatur, rogat et obsecrat per » viscera misericordiae Dei nostri, ut omnes et singuli qui » Christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, in » hoc vinculo charitatis, in hoc concordiae symbolo jam » tandem aliquando conveniant et concordent, memores » tantae majestatis... ut panem illum supersubstantialem » frequenter suscipere possint... » Et sess. 22, cap. 6: » Optaret quidem sacrosancta synodus, ut in singulis mis- » sis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed » sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communi- » carent, quo ad eos sanctissimi sacrificii fructus uberior » proveniret. » Ergo 1°.

2° *Decisione Cong. concil.* diei 12 feb. 1679, doctrinam concilii Trid. modo expositam tradentis, cujus decretum ab Innocentio XI expresse fuit approbatum, et in quo habetur: « Cum fideles ad sanctissimi Sacramenti frequen- » tiam, quod facere debent, accesserint, statim ad » illud sumendum de magna praeparatione orationem ha- » beant, generatimque ostendant eos qui ad frequentio- » rem aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto » studio excitantur, debere... suam agnoscere infirmi- » tatem; aut dignitate sacramenti ac divini iudicii for- » midine discant coelestem mensam, in qua Christus est, » revereri; et si quando se minus paratos senserint, ab ea » abstinere, seque ad majorem praeparationem accinge- » re. » Ergo 2°.

3° *Testimoniis Patrum.* Citavimus S. Justinum, dicentem sacram Eucharistiam in fidelium coetibus unicuique praesentium distribui et ad absentes deferri. S. Cyp. de oratione Dominica, ait: *Eucharistiam quotidie ad cibum*

salutis accipimus, et cunctos ad quotidianam communio- nem hortatur. S. Hieron., Epist. 30, 2 part.: « Scio Ro- » mae hanc esse consuetudinem ut fideles semper Christi » corpus accipiant, quod non reprehendo nec probo. » S. Aug., Epist. 54: « Dixerit aliquis non quotidie acci- » piendam Eucharistiam; quaesieris, quare? Quoniam, » inquit, eligendi sunt dies quibus purius homo con- » tinentiusque vivit, quo ad tantum sacramentum dignus » accedat... Ille honorando non audet quotidie sumere, » et ille honorando non audet ullo die praetermittere. » Ergo 3°.

4° *Ratione.* Posita enim fide in praesentiam realem et in divinam sanctissimi illius sacramenti virtutem, evidenter constat frequentem illius usum, cum dispositionibus sanctis, laudabilem et utilissimum esse, sicque doctissimi viri et animae pia semper judicaverunt: ergo 4°, etc. Aliunde, etc. Ergo.

Nulli tamen quotidiana communio necessaria est ad salutem, ut pluribus in locis asserere visus est P. Pichon: hoc sequitur ex testimoniis relatis, ex praxi Ecclesiae et sensu fidelium.

PROPOSITIO SECUNDA.

Ad frequentem communionem non solum necessaria est immunitas a peccato mortali, sed requiritur ut nullus sit affectus ad peccatum veniale, et ardens existat desiderium communicandi.

Prob. auctoritate S. Thomae, S. Francisci Salesii, Bened. XIV, multorum episcoporum et ratione.

1° *Auctoritate S. Thomae*, qui in 3 parte, q. 80, art. 10, de quotidiana communionem agens, dicit: « In sumente » requiritur ut cum magna devotione et reverentia ad hoc » sacramentum accedat, et ideo si aliquis se quotidie ad » hoc paratum inveniat, laudabile est quod quotidie su- » mat. » Ibiq. citat verba S. Aug. attributa: « Accipe » quotidie quod quotidie tibi prosit: sic vive, ut quotidie » merearis accipere. » Ergo 1°.

2° *Auctoritate S. Francisci Salesii, Introduction à la vie dévote*, chap. 20 : « Il serait imprudent de conseiller indifféremment à tous la communion de tous les jours, la disposition requise pour une communion si fréquente devant être fort exquise : parce que cette disposition, quoique exquise, peut se trouver en plusieurs bonnes âmes, il n'est pas bon d'en détourner généralement; il faut en user suivant l'état intérieur de chacun en particulier..... il faut, pour être admis à cette communion, avoir surmonté la plupart des mauvaises inclinations, c'est-à-dire, non-seulement l'affection aux choses inutiles et dangereuses, comme sont les jeux, les festins, les parures, et autres choses semblables, mais encore ces inclinations naturelles qui, n'ayant point pris l'origine de nos péchés particuliers, ne sont pas proprement vices ni péchés, mais imperfections; comme sont la légèreté, l'inclination à la colère, la mélancolie, et autres défauts qui viennent du tempérament et du naturel, et sont souvent contre le gré de la volonté.... Pour communier tous les huit jours, il est requis de n'avoir aucun péché mortel, ni aucune affection au péché véniel, d'avoir un grand désir de communier; mais pour communier tous les jours, il faut, outre cela, avoir surmonté la plupart des mauvaises inclinations. » Ergo 2°.

3° *Auctoritate Bened. XIV*, de Synodo diœces., l. 7, cap. 12, n. 9 : « Præcipue monendi sunt confessarii, ne frequentem ad Eucharistiam accessum iis aut suadeant aut permittant, qui in gravia peccata sæpe labuntur, nec de pœnitentia agenda suaque vita emendanda sunt solliciti; sicut nec illis qui, etsi gravia evitent crimina, voluntatem tamen habent venialibus adhærentem. » Postea commendat ut legantur S. Franciscus Salesius et Joannes Thaulerus. Ergo 3°.

4° *Auctoritate multorum episcoporum*, qui nempe librum P. Pichon censuris affecerunt : iis addi possunt omnes in vita ascetica magistri. Ergo 4°.

5° *Ratione*. Frequens communio maxima est familiaritas inter animam fidelem et Christum : si hæc familiaritas

sit sancta et cum reverentia debita, erit laudabilis et utilis; si vero reverentia debita careat, Christo displicebit, et magis noxia quam utilis erit. Porro communio facta cum affectu voluntario ad venialia, non exhibet reverentiam Christo debitam : ergo 5°. Aliunde, etc. Ergo.

Quædam notanda circa frequentem communionem.

1° Fideles prudentem et pium habeant directorem, inter mille electum, ut vult S. Franciscus Salesius; animam suam ei patefaciant, et simplici docilitate obsequantur.

2° Caveant directores ne indiscretis sermonibus a frequenti communione retrahant, ut pluries accidit, sed, e contra, pias animas sibi commissas sollicite excolant, amore divino imbuant, et ad frequentiores communionem prudenter disponant ac inducant.

3° Non raro inveniuntur personæ devotæ quæ, ex communionum frequentia, fere omnem amiserunt reverentiam erga sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, et sine præparatione ac gratiarum actione ad illud fidenter accedunt : aliæ vero timore excessivo percussæ, nunquam se sufficienter præparatas arbitrantur. Prudens confessarius has et illas perfecte noscere et congruentibus monitis excitare debet ad salutarem tremorem, vel ad majorem fiduciam.

4° Quandoque inveniuntur animæ, e cœno peccati vix emergentes, quæ, in primis conversionis suæ diebus, statim frequentem communicare vellent : prudens confessarius præmaturo huic desiderio non acquiescet, eas libenter in confessione audiet, ad dolendum magis ac magis de præteritis, ad agendum gratias Deo, ad colendas virtutes Christianas, ad perseverandum in proposito hortabitur; ad sacram synaxim in magnis solemnitatibus admittet, deinde in festis minus solemnibus, et postea frequentius, juxta illarum progressus in pietate.

5° Ut communionem personarum quas dirigit prudenter determinet confessarius, sedulo attendere debet ad earum conditionem actualem et futuram : mulier conjugata, curis domesticis implicata, eodem modo ad sacram men-

sam admitti non potest ac pia vidua, nulla sollicitudine pressa; nec puella matrimonio destinata, eodem modo ac altera quæ mundo renuntiavit, virgo permansura est, aut Deo consecranda, sive in congregatione sæculari, sive in monasterio regulari, etc., nec juvenis negotia sæcularia expleturus, eodem modo ac alius statum clericalem amplexus vel amplexurus, etc.

Expedire nobis videtur ut ad frequentem communionem ii non admittantur qui certo postea, ratione status aut functionum, raro communicare poterunt. Hinc probare non possumus agendi rationem confessoriorum qui juniores pueros et puellas ad frequentissimas communionem inducunt: sufficit ut recte viventes, identidem admittantur, v. g., in præcipuis solemnitatibus, donec futura eorum destinatio cognoscatur, et præsumi possit quid in hoc genere prudenter eis consulendum sit.

Non improbandi tamen confessarii qui pueros ad primam communionem admissos, scientia, pietate, modestia, mansuetudine, obedientia, aliisque virtutibus christianis conspicuos, et communionem desiderantes, ad participationem divini illius sacramenti semel aut iterum inter primam et secundam, vel secundam et tertiam communionem solemnem admittunt; sed raro inveniuntur pueri qui, absque ullo incommodo vel periculo, sic admitti possint.

6° Animæ piæ et devotæ, in virtutibus Christianis probatæ, a peccato mortali abhorrentes, ad venialia nullum affectum retinentes, pravas inclinationes suas superare nitentes, ab illecebris creaturarum alienæ, seipsas continententes, ad perfectionem tendentes, magnum communicandi desiderium habentes, et præ conditione sua piis exercitiis vacare valentes, ad quotidianam communionem admittendæ sunt, aut saltem admitti possunt; alioquin fere nullus sacerdos quotidie celebrare posset. Sic communicare solebant SS. Gertrudis, Catharina Sinensis, Theresia, Joanna de Chantal, etc. Communiter tamen prudentes confessarii unum excipiunt diem singulis hebdomadis, in quo facienda est confessio.

7° Aliæ personæ in sanctitate minus eminentes, quæ nihilominus sibi invigilant, peccatum fugiunt, ad perfectionem tendunt et communionem desiderant, omnibus diebus dominicis et festivis, et insuper duabus vel tribus vicibus per unamquamque hebdomadem admitti possunt. Talis est praxis piorum confessoriorum.

8° Nulla conditio per se frequenti communionem excludit, ut fert decretum Cong. supra citatum: « Frequens accessus (ad Eucharistiam) confessoriorum judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate et frequentia fructu, et ad pietatem processu, laicis negotiatoribus et conjugatis, quod prospiciunt eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt.

9° Qui ex mera fragilitate in aliqua passim incidunt peccata venialia, sed cito gemunt, dolent, emendationem sibi proponunt, et communionem velut robur ad perseverandum desiderant, ea non privandi sunt. Si e contra, non obstante frequenti communionem, in via perfectionis non proficiant, in culpas veniales deliberatas incidant, neque se emendent; v. g., voluptatibus sensuum in videndo, audiendo, edendo, libenter indulgeant, cum aliqua vanitate se vestiant, etc., usus communionis restringi et quandoque suspendi debet, donec de sua emendatione serio cogitent. Ita S. Ligorius, Praxi conf., n. 155.

10° *Advertendum*, cum eodem S. Ligorio, devotionem quæ ad frequentem communionem requiritur, non necessario debere esse summam et sensibilem: sufficit ut director in corde pœnitentis quamdam detegat alacritatem ad faciendam quæque Deo placita sunt, cum dispositionibus supra expositis. Prudens confessorius aliquando animam ad communionem nimis inclinam probat et mortificat, quasdam communionem ei subtrahendo, præsertim si ex tali subtractione tristetur, quia *hujusmodi tristatio*, inquit S. Ligorius loco citato, *est argumentum superbiæ quæ eam vere reddit indignam*. Aliquando vero animam siccam, aridam, tedium sentientem, et ex illo statu gementem, ad frequentem Eucharistiæ susceptionem impellit, ut ex sacramento vires acquirat.

11° Curet confessarius ut sui poenitentes ad sacram communionem imparati non accedant, et post communionem in gratiarum actione convenienti tempore immorentur. « Paucissimi sunt directores qui sedulo id faciant, » ait S. Ligorius, n. 156, quia paucissimi sunt sacerdotes » qui, post missæ sacrificium, cum Jesu Christo in gratiarum actione subsistant; et ideo pudet eos aliis insinuare » quod ipsi non faciunt. Gratiarum actio ordinarie per » horam integram durare deberet; fiat saltem per dimidiam, in qua anima in amando et petendo se exercent. » Nos petimus ut fiat gratiarum actio saltem per unum quadrantem, in summa recollectione, cum plena fide, ardenti amore, etc.

CAPUT SEPTIMUM.

DE EFFECTIBUS EUCHARISTIE.

Varios hujus sacramenti effectus recenset et evolvit S. Th., in tota questione 79, 3 part. De illis quædam breviter dicemus.

1° Eucharistia producit ex opere operato gratiam sanctificantem, et hoc habet commune cum cæteris sacramentis, sed excellentius est, quia ipsum gratiæ auctorem continet. Gratia autem hujus sacramenti per modum spiritualis nutritionis producit: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*, Joan. VI, 56. Supponit ergo animam vivere, quia prius est esse quam nutriri: ideo dicitur sacramentum vivorum, et gratia ejus est per se augmentum gratiæ sanctificantis, cum jure ad gratias actuales suo tempore obtinendas, si obex eis non apponatur. Unde Eug. VI, in Decreto ad Armenos, ait: « Hujus » sacramenti effectus, quem in anima operatur digne summentis, est adunatio hominis ad Christum. Sequitur » quod per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia » augeatur; omnemque effectum quem materialis cibus » et potus quoad vitam agunt corporalem, hoc idem » quoad vitam spiritualem et hoc sacramentum operatur. »

2° Dat jus ad æternam gloriam, juxta hæc ipsius Christi verba, Joan. VI, 55: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Hinc ab Ecclesia dicitur *pignus gloriæ.*

3° Quicumque conscientiam peccati mortalis habens, ad sanctissimum illud sacramentum accederet, ex omnium confesso enormis sacrilegii reus fieret, judicium sibi manducaret et biberet: sed communius et probabilius docent theologi cum S. Th., q. 79, art. 3, illud sacramentum ab eo susceptum qui est in peccato mortali, cujus conscientiam et affectum non habet, nihilominus conferre gratiam sanctificantem, quæ per accidens fit gratia prima, sicut poenitentiae sacramentum homini jam justificato collatum, producit gratiam ex se primam, quæ per accidens fit secundaria. Vide quæ in Tractatu *de Sacramentis* diximus. Hæc sententia recte intellecta nullum habet periculum, cum peccati mortalis conscientiam et omnem ad illud affectum excludat.

4° Peccata venialia remittit, vel directe, vires animi reficiendo, sicut cibus materialis vires corporis restaurat; vel indirecte, charitatis fervorem peccato veniali oppositum augendo. Unde concilium Trid., sess. 13, cap. 2, ait Christum illud dedisse *tanquam antidotum quo liberemur a culpis quotidianis.* Hinc in oratione pro ablutione secunda in fine missæ, congruenter dicimus: *Præsta ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt sacramenta,* ut deleantur tum peccata venialia, tum per accidens peccata mortalia ignota.

5° Eo sensu etiam intelligi possunt præcedentia verba quo Eucharistia, ut sacramentum, poenam peccatis debitam indirecte remittat, fervorem excitando; si vero ut sacrificium spectetur, hujusmodi poenam directe potest remittere, *ut in secunda parte ostendemus.*

6° Divina Eucharistia præservat a peccatis, ut in concilio Trident., sess. 13, cap. 2, habetur: « Quo liberemur » a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus præserve- » mur. » Et hoc fit dupliciter, ut ait S. Th., art. 6: « Uno